

tum spei discrepant inter se Theologi, adeo ut assertio data non nisi ut probabilis intelligi debeat.

53. *Dico III.* In animabus purgantibus manent virtutes theologicæ omnes: in damnatis autem nulla.

1<sup>a</sup>. *Pars quoad charitatem* non habet adversarium: *quoad fidem* habet unum *Hurtadum* dubitantem; sed quia animæ purgantes necdum plene sunt in termino, ad eas quoque pertinet illud 2. ad Cor. 5. 7. de peregrinantibus dictum: *Per fidem ambulamus, et non per speciem*: ac præterea cum nondum habeant visionem beatificam, neque etiam de omnibus objectis, nequidem evidentiam in attestante, neque eorum status, utpote pœnosus, excludat obscuritatem; nihil prorsus obstat ne retineant fidei habitum supernaturalem, in via acceptum. *Quoad spem* similiter consentit communis cum S. THOMA; et ipsa ratio persuadet, cum possint Deum, quem necdum possident, sperare possidendum. In eo autem actu, quamvis adjungatur certitudo, nihil desideratur ad spem perfectam; cum arduitas spei non stet in incertitudine, sed in eo quod res viribus nostris solis obtineri nequeat, ut alibi dicitur.

2<sup>a</sup>. *Pars de charitate* est extra quæstionem, et sequitur ex num. 53. *De fide prob.* Quia damnati imprimis indigni sunt ut donum hoc supernaturale retineant: deinde quia in eis impossibilis est actus fidei supernaturalis; tum quia perpetuo privantur auxilio supernaturali, ex parte intellectus, quo ad fidem excitentur: tum quia carent pia affectione ex parte voluntatis ad actum fidei requisita. Unde Auctor L. de Divin. Nomin. c. 4. *In quo*, inquit, *malos fieri demones dicimus, nisi in vacatione*, h. e. evacuatione seu privatione, *divinorum bonorum*. Et S. AUG. L. 9. de Civ. c. 21. scribit, demones non cognovisse Deum per lumen quod illuminat fideles, sed per alia divinæ virtutis effecta et signa etc. Idem constat *de spe*; quia damnati nec fidem nec ullam illustrationem supernaturalem ex dietis obtinent, ac præterea certi sunt se in æternum nihil operaturos boni, nec Deo fruituros: unde sicut desperatio sequitur, sic certo amittitur habitus spei.

## DISPUTATIO II.

### DE OBJECTO FIDEI.

#### CAPUT I.

##### DE OBJECTO MATERIALI FIDEI IN GENERE.

#### ARTICULUS I.

##### QUODNAM IN GENERE SIT OBJECTUM MATERIALE FIDEI?

Quæstio principalis hic agitur cum Hæreticis, qui triplicem fidem distinguunt, *historicam* nempe, *miraculorum*, et *promissionum*, et postremam subdividunt in generalem et specialem; quarum priores duas nec utiles nec ad salutem et justificationem necessarias asserunt. Porro *fidei historicæ* pro objecto tribuunt tum res omnes olim gestas, tum comminationes divinas, tum pœnas peccantibus inflictas, quæ in Scriptura perhibentur: *fidei miraculorum*, omnipotentiam divinam, quæ omnia possit etiam naturam omnem creatam excedentia: *fidei promissionum generali*, promissam omnibus in Christum credentibus salutem: *speciali*, misericordiam Dei, seu remissionem peccatorum et justificationem, quam quilibet in individuo sibi per justitiam Christi imputatam confidat, seque justum et prædestinatum pro certissimo habeat. Ita Calvinus L. 3. Inst. c. 2.

56. *Dico I.* Objectum materiale fidei theologicæ est omnis ac sola veritas a Deo revelata; sive ea sit divina seu de Deo, ejus perfectionibus, aut decretis liberis, sive creata.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Objectum materiale fidei theologicæ est omne ac solum id quod propter solius Dei auctoritatem creditur; cum hanc solam ex dictis num. 43. fidem theologicam vocemus, quæ Deo dicenti exhibetur: sed omnem et solam veritatem a Deo revelatam propter ipsius revelantis auctoritatem credimus, ut ex terminis liquet; ergo. Dixi: *veritas*; tum quia Deus falsum aut mendacium dicere ac revelare nequit: tum quia mendacium quidem subjectum fidei esse potest, minime vero propositio falsa aut mendax ut talis credi fide divina.

*Pars 2<sup>a</sup>.* ex jam dicendis clarius patebit.

57. *Dico II.* Objectum materiale fidei ad justificationem et salutem requi-

sita, est quodcumque a Deo revelatum etiam ad fidem historicam et miraculorum pertinens.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Omne id est objectum fidei requisita, quod negari salva fide non potest: sed quodcumque a Deo revelatum est salva fide negari non potest; ergo.

*Conf.* Marc. 16. 16. sine exceptione dicitur: *Qui crediderit, salvus erit*; et Apostolus nihil inter fidem ac fidem distinguens ad Hebr. c. 11. v. 6. *Sine fide, inquit, impossibile est placere Deo*; ac ad Ephes. 4. 5. *Unus Deus, una fides, unum baptisma*; ergo objectum materiale fidei ad salutem requisita sunt omnia a Deo revelata.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Ad fidem *historicam* pertinent tum mysteria quasi speculativa, quale est de Deo existente et remuneratore; tum practica seu actu impleta, ut Incarnatio, passio Christi et similia: sed horum fides etiam necessaria est ad salutem, ut patebit ex dicendis seq. cap.; ergo.

*Prob. 3<sup>a</sup>. p.* Illa fides est utilis ad salutem ab adulto obtinendam, de qua Marc. 1. c. dicitur: *Qui crediderit salvus erit: qui non crediderit condemnabitur*: sed hæc ipsa est ea fides, de qua Dominus continuo subdit: *signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur etc.*, et quam Hæretici vocant fidem miraculorum; ergo.

*Conf.* Fides theologica et ad salutem requisita ex ep. ad Hebr. c. 11. v. 1. est *sperandarum substantia rerum*: ergo eadem fides, quæ debet omnibus esse communis, etiam se extendit ad omnipotentiam divinam mirabilia operaturam, si expedit; unde ibidem subiungit Apostolus: *Sancti per fidem vicerunt regna, extinxerunt impetum ignis etc.*

58. *Dico III.* Objectum materiale fidei theologice ad salutem requisita, non est specialis erga particularem hominem misericordia divina, condonans illi peccata.

*Prob.* Nemo in individuo potest certitudine fidei theologice credere se esse justum et salvandum, nisi in individuo habeat revelationem divinam, sibi in individuo et absolute applicari et convenire revelationem de promissionibus generalibus conditionatis factam. Sed fidelium etiam nemo habet ejusmodi revelationem absolutam ac in individuo, saltem *ordinarie*, et singulari privilegio excepto, quod Hæretici probare non possunt; ut uberius ostenditur tum de justificatione, in Tr. de Gr. tum de spiritu privato hic; ergo fides illa specialis nequidem est theologica; ergo nec objectum materiale fidei theologice ad salutem necessaria potest esse illa misericordia divina.

59. *Obj. contra 1<sup>um</sup>. 1<sup>o</sup>.* Potest Deus habere et alicui revelare hoc decretum: nolo ad ullum fidei actum cum quacumque rationali creatura concurrere: sed hoc casu daretur aliquid a Deo revelatum, et tamen non esset credibile; ergo non omne revelatum est objectum materiale fidei. 2<sup>o</sup>. Solus Deus est *subjectum* fidei, tum quia in omni actu fidei divina creditur Deus: tum quia non potest aliquid credi, nisi habeat ordinem ad Deum. 3<sup>o</sup>. Non omnia revelata sunt æque vera; quia divina sunt veriora creatis; ergo nec omnia sunt æque credibilia; ac proinde saltem non omnia spectant ad objectum directum fidei, nec sunt *immediate* credenda.

*R. Ad 1<sup>um</sup>. Tr. A. D. Cons.* Ergo, facta suppositione ejusmodi aut alia exo-

tica, non omne revelatum est objectum materiale fidei *C.* ea omnia et secundum ordinariam presentemque providentiam *N.*

*Ad 2<sup>um</sup>. N. Ass. Ad prob. 1<sup>am</sup>. D.* In omni actu creditur Deus ut objectum formale *C.* ut objectum materiale distinctum a formali *N.* *Ad prob. 2<sup>am</sup>. D.* Nisi habeat ordinem intrinsecum et antecedenter actualem ad Deum *N.* extrinsecum et aptitudinalem *T.* De facto quidem plurima revelata per se ordinantur ad finem supernaturalem; aut illis proxime subordinantur ad finem supernaturalem, vel saltem a Deo ordinari possunt ad faciliorem Dei cognitionem: nihil tamen impedit ex parte actus fidei, cur etiam non ordinabile, si a Deo revelatum sit, actu theologico credatur. Præterea in his Deus tantum est objectum materiale indirectum, remotum, et respective ad fidei actum se impertinenter habens.

*Ad 3<sup>um</sup>. D. A.* Non sunt æque vera in se seu necessaria in essendo, aut prout per principia intrinseca possunt attingi *C.* non sunt æque vera in ratione credibilitatis, et prout cognoscuntur per testimonium divinum. *N.* Ad hæc objectum directum fidei dicitur, quod a revelante directe enuntiatur, et a credente per se creditur; cui non obstat quod a loquente vel credente cognitio objecti ad aliud ordinetur. Porro sicut omne revelatum immediate substat auctoritati divinæ; ita et immediate creditur: ordo enim rerum inter se non variat ordinem seu conjunctionem immediatam revelationis cum revelato: unde et revelatum creditur *præscindendo* ab ordine rerum, et ab ignorante hunc ordinem.

60. *Obj. cont. 2<sup>um</sup>.* Firma fiducia aliquid supra vires obtinendi est fides miraculorum: sed hæc fiducia non oritur ab eo habitu, a quo procedit fides dogmatica, seu fides theologica tum mysteriorum, tum promissionum, tum minarum, tum gestorum; ergo nec fides miraculorum est idem aut habet idem objectum materiale. *Conf. 1.* Fides theologica est communis et requiritur in omnibus: sed *fides miraculorum* nec est communis, nec requiritur in omnibus; ergo. *Conf. 2.* Fides theologica debet esse in nostra potestate, et incredulitas ei opposita facit hominem infidelem, habitumque fidei expellit: neutrum autem convenit *fidei miraculorum*; tum quia patrare miracula non est in cujuslibet potestate: tum quia si quis non crederet in his vel illis circumstantiis non fore patrandum miraculum, non peccaret contra fidem; cum nemo dixerit, Petrum, ubi super aquas ambulans timuit mergi, commisisse infidelitatem; ergo.

*R. D. M.* Firma fiducia aliquid obtinendi supra naturæ vires est fides miraculorum in sensu tropico, sumendo effectum pro causa *C.* in sensu proprio et formali *N.* Fides quatenus est assensus intellectualis ob auctoritatem Dei promissa sua revelantis, dicitur *fides miraculorum*; quia prærequiritur ad petendum cum fiducia miraculum, habetque pro objecto materiali omnipotentiam et fidelitatem Dei in promissis, pro formali revelationem divinam, qua Deus dixit se facturum quidquid in Christi nomine petierimus, sicut petere oportet. Ad hunc fidei actum sequitur fiducia obtinendi miraculum, quæ in homine justo immediate oritur ex habitu spei theologice, pro objecto materiali habens miraculum impetrandum, pro formali fidelitatem Dei in explendis suis illis promissis, si hic et nunc ita sit conveniens, et aliæ etiam conditiones ex parte nostra fuerint impletæ.

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>. D. min.* Fides miraculorum quoad substantiam et suum effectum primum non est communis, nec requiritur in omnibus *N.* quoad accidentalia, et effectum secundarium *C.* Fiducia in presentibus circumstantiis ad petendum et impetrandum miraculum applicata, fidem generalem accidentaliter ratione firmitatis majorem ac intensam consequitur, ex speciali instinctu Dei vel circumstantiarum prudenti consideratione concitatur; quæ cum abesse possint et sæpe soleant, patet nec fiduciam illam fidei substantiæ esse debitam, nec ejusdem effectum esse primum, nec omnibus necessarium aut convenientem.

*Ad Conf. 2<sup>am</sup>. N. min. Ad prob. 1<sup>am</sup>.* R. Aliud est *fides*, aliud *donum* miraculorum. *Prima* est in nostra potestate ex nuper dictis. *Secundum* est singularis gratia gratis data a Deo uni vel alteri, cum potentia proxima impetrandi ipsum effectum miraculosum; quod utique in nostra potestate non est. *Ad prob. 2<sup>am</sup>.* R. *D.* Si quis non crederet, in his vel illis circumstantiis patrandum fore miraculum, ille non peccaret contra fidem, si illa incredulitas præcise sit defectus fiduciæ, aut firmitatis accidentaliter intensæ *C.* si sit defectus ipsius fidei quoad substantiam vel proprium objectum *N.* Tum *Petrus* super aquam ambulans, tum *Apostoli* in navicula jactati et a *Christo* ob modicam fidem reprehensi retinuerant ipsam fidei substantiam de potentia ac fidelitate Christi, ob levem solum firmitatis ac fiduciæ diminutionem, teste *S. Hier.* in c. 17. v. 21. *Matth.*, correpti.

61. *Obj. cont. 3<sup>am</sup>.* Fides ex Apostolo est *hypostasis sperantium*, ut legit *S. Augustinus*; sed et hypostasis per se significat expectationem, quemadmodum ex *Ps. 38. v. 8.* et ex ep. ad *Hebr. 3. v. 14.* apparet, et per τὸ *sperantium* determinatur ad significationem expectationis; ergo fides est expectatio ac proin fiducia; ergo et ejus objectum materiale singularis illa Dei misericordia.

R. 1<sup>o</sup>. *N. min.* Nam cum imprimis ibidem addatur: *argumentum non apparentium*, ex hujus significatione etiam hypostasis ad significandam substantiam determinatur, ut liquet ex n. cit. Deinde *Ps. 38. v. 8.* sic habet: *Et substantia (hypostasis) mea apud te est*; ubi licet vox hebræa dicatur significare expectationem vel spem, 70. *Interp.* recte reddiderunt sensum; cum ibidem non significetur actus spei, sed res sperata, nempe Deus, qui que hoc sensu potuit appellari substantia nostra; quam usurpationem et rationem nemo fidei tribuerit. Porro dum ad *Hebr. 3. v. 14.* dicitur: *Si tamen initium substantiæ (hypostasis) ejus usque ad finem teneamus*; inde tamen hypostasin hic pro spe usurpatam non evincunt Hæretici, licet addant in eod. cap. præmissa fuisse hæc in v. 6. *Si fiduciam et gloriam spei ejus usque ad finem firmam retineamus.* Quæ enim significatio hypostasis sit fidei applicata, docuit nos inter Græcos eloquentissimus *S. Cyrillus*, qui *hom. 21. n. 2.* in ep. ad *Heb.* *Quia ea*, inquit, *quæ sunt in spe, sine substantia (ἀνοπιστάτα) esse putantur, fides eis tribuit substantiam (ὑπόστασιν) aut potius ipsa est essentia eorum, ut puta, resurrectio necdum facta est, et necdum est in substantia, sed fides (1) facit eam subsistere in anima nostra: id est quod dicit sub-*

(1) Ita legendum plane videtur cum *Euthymio*, *Theophylacto* aliisque, non, ut habent editiones *Chrysostomi*, *spes*.

*stantia (ὑπόστασις) rerum sperandarum.* Unde etiam v. 6. potuit signate poni spes, vers. 14. autem fides ut fundamentum spei, aut aliud quodvis spectans ad eundem finem. Postremo nec illud adjunctum *sperantium* determinat vocem hypostasis ad significationem expectationis; cum sensus diversus hac lectione non evadat, quia substantia rerum, quæ sperantur, præsupponitur ut homo speret: præterquam quod *Novatores* communiter ferme nobiscum legant: hypostasis rerum speratarum.

R. 2<sup>o</sup>. *Transm. Syllogismo, N. ult. illat.* Nam cum expectatio sit futurorum, fiducia autem, quam *Novatores* fingunt, sit de re presenti, nihil concluditur pro eorum errore.

*Inst. 1.* Ad fidem spectat credere *Deo*, credere *Deum*, credere *in Deum*: sed credere in Deum dicit actum voluntatis, neque alium quam fiduciam; ergo.

R. 1<sup>o</sup>. *N. 1<sup>am</sup>. p. min.* Non enim significantur diversi actus, sed ejusdem actus fidei diversæ habitudines, connotationes aut relationes. Et quidem juxta *S. Th. 2. 2. q. 2. a. 2. in 6.* credere *Deo*, dicitur actus fidei, prout tendit in Deum ut objectum formale: credere *Deum*, prout affirmat Deum ut objectum materiale expressum: credere *in Deum* videtur connotare habitudinem ad Deum tanquam ad finem ultimum, ad quem voluntas tendens movet ad actum fidei; quin tamen requiratur actualis motio voluntatis, cum satis esse possit habitualis. Cum vero *S. Epiphanius* et *Cyriillus Hieros.* etiam in Symbolo dicant: *Credo in S. Ecclesiam*; alii cum *Suarez* putant asseri posse, quod credere in Deum, solum connotet relationem ad Deum tanquam objectum formale.

R. 2<sup>o</sup>. *Transm. 1<sup>a</sup>. p. N. 2<sup>am</sup>.* Tum quia ex modo dictis sufficit actus tendens in Deum ut finem ultimum, quam expositionem etiam *S. Aug. Tr. 29.* in Joan. permittit, ut peccator dicatur credere in Deum vel Christum: tum quia actus fiduciæ non sufficit, si adoptetur alia explanatio *S. Augustini* l. c. n. 6., juxta quam credere in Deum vel Christum, est credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, et ejus membris incorporari; quam sententiam dum *D. Th. 2. 2. q. 1. a. 9. ad 3.* sectatur, simul dicit peccatores symboli initium duntaxat in persona Ecclesiæ proferre.

*Inst. 2.* Justificatio in adultis non potest obtineri sine actu voluntatis; ergo fides justificans, præter assensum revelatis datum, constituitur per actus voluntatis, quales a *Calvini* sectatoribus enumerantur 1. assensus *fiducialis* et practicus, quo homo Evangelium non tantum judicat verum, sed et bonum amore dignum: 2. actus *refugi*, in voluntate ad propositam per Evangelium præcipue hominis miseriam Deique gratiam ortus, quo homo miseram suam conditionem agnoscens confugit ad Christum: 3. actus *receptionis*, quo homo gratiam Christi apprehendit, Christo adhæret, eique se unit. Super hos demum actus ubi homo se reflectit, agnoscit se habere fidem justificantem esseque justificatum; unde tandem consolatio et confidentia, tanquam effectus fidei profluit.

R. *N. Cons.* Quia potius inferendum erat simpliciter; ergo præter fidem requiruntur ad justificationem actus voluntatis, quod est verissimum. *N.* etiam *supp. Cons.*; quia dum dicitur a *Novatoribus* fides justificans, intelligitur fidem per se solam justificare; cum tamen non dicatur justificans, nisi

quatenus est prima dispositio ad justificationem. Quod actus recensitos attinet, negamus postremos haberi posse aut vocari *actus fidei*, sed de ultimo statim plura.

*Inst. 3.* Ut homo justificetur, debet apprehendere justitiam Christi: sed hanc debet apprehendere per fidem: non autem apprehendere potest per solam *fidem historicam*; ergo per fidem specialem seu fiduciam. *Conf.* Actus receptionis est, quo homo amplectitur Christum et in ejus meritis unice confidit: sed hic actus non est *spes*, quia hæc non excludit timorem; ergo debet esse *fiducia*, utpote certa et infallibilis.

R. 1<sup>o</sup>. *D. M.* Debet apprehendere justitiam Christi, h. e. debet se disponere ad justitiam a Deo accipiendam, eamque impetrare aut mereri de congruo *C. h. e.* debet sua actione quasi trahere ad se atque sibi unire justitiam Christi *N. Primus* sensus est Catholicus, in quo actiones nostræ bonæ, justificationem præcedentes, statuuntur tanquam præparationes et dispositiones ad gratiæ et sanctificationis donum, ab ipsa Christi justitia distinctum, quod Deus nobis et quidem per sacramenta, tanquam per manum suam invisibiliter extantam dat, eoque nos formaliter justos constituit. *Secundus* est erroneus, tum quia supponit, quod homo justificetur formaliter per justitiam Christi homini imputatam; tum quia actio hominis proprie non justificat; cum neque sit causa efficiens neque formalis justificationis.

R. 2<sup>o</sup>. *N. min.* Non enim sola fides est; quæ dispositio aut apprehensio activa in quocumque sensu dici queat; sed requiruntur etiam alii actus, spei nempe, charitatis, pœnitentiæ, etc. Quam parum vero inde quis illos actus cum fide confundere poterit, tam parum id licet respectu *fiduciæ specialis*, quam sine particulari revelatione nequidem prudenter esse possibilem, certum est.

*Ad Conf.* Omisso interim falso *M.* supposito,

R. *N. min. Ad prob. N. supp.* quod spes ac fiducia nostra debeat excludere omnem timorem, cum apertum sit Apostoli monitum ad Philipp. 2. 12. *Cum metu et tremore vestram salutem operamini. N. etiam suppos. Cons.* Fiducia de se nec certa est nec infallibilis, sed firma duntaxat, et certa solum dicitur, quatenus fundatur in actu intellectus certo ac infallibili: undenam autem hæc *fides specialis* ac fundamentum talis fiduciæ habetur, qualem Novatores asserunt? Quamvis enim Deus nobis promiserit peccatorum remissionem vitamque æternam, ac id revelaverit; non revelavit tamen quod ego sim veniam et vitam consecuturus *absolute*, neque *absolute* promisit; sed si credidero et fecero quæ Deus ad ea consequenda exigit, quorum tamen neutrum Deus revelavit.

## ARTICULUS II.

AN VERITAS FORMALITER IMPLICITE REVELATA SIT OBJECTUM MATERIALE FIDEI?

62. *Nota I.* Illud dicitur *formaliter revelatum*, quod ipsa locutione significatur, seu quod a loquente dicitur vi significationis terminorum, juxta sensum a loquente intentum et intentionem manifestam; quæ postrema adjeimus, quia etiam Deus loquens adhibet metaphoras usitatas, in quibus proinde sensus est attendendus. *Formaliter explicite* revelatum dicitur, quod ipsi locutionis termini clare et signanter exprimunt: *formaliter im-*

*placite* revelatum, quod formaliter continetur, seu formaliter idem est cum explicite revelato; sic continetur definitio in definito; partes physice essentielles in toto, propositio particularis in universali, conclusio in præmissis. Dicuntur autem hæc *implicite* revelata; quia licet formaliter continentur in explicite revelato, tamen proposita revelatione non statim apparent, sed per aliam propositionem debet explicari sensus revelationis, et revelatio ad illis assentiendum applicari. Sic dum *explicite* revelatum est Christum esse hominem, omnibus hominibus statutum esse mori, omnes Apostolos die Pentecostes accepisse Spiritum sanctum, Matthæumque esse Apostolum; *implicite* revelatum est Christum esse animal rationale et compositum ex corpore et anima, Petro statutum esse mori, Matthæum die Pentecostes accepisse Spiritum sanctum. Porro propositio exponens et revelationem explicitam applicans, ipsa etiam potest esse revelata, ut patet in exemplo de receptione Spiritus sancti ab Apostolis: vel esse *metaphysice* aut *physice* certa, ut liquet in exemplo de statuto moriendi ad omnes homines pertinente: vel solum *moraliter* certa, ut in hoc syllogismo exhibetur: Omne legitimum Concilium habet assistentiam Spiritus sancti: *Tridentinum* fuit Concilium legitimum; ergo habuit Spiritus sancti assistentiam: vel denique tantum probabiliter nota, cujus exemplum exstat in sequenti discursu: Omnis contritus, legitime confessus et absolutus, est in statu gratiæ: sed Petrus est contritus, legitime confessus et absolutus; ergo est in statu gratiæ.

63. *Nota II.* Objectum fidei materiale etiam proximum aliud est tale quoad se, aliud quoad nos. *Primum* est, quod est revera revelatum, quamvis notitia de tali revelatione non sit sufficiens ad illius objectum fide credendum: *secundum* est, de cujus revelatione sufficientem notitiam nos habemus ad fidem. Hinc patet cur, revelata columba, licet etiam *quoad se* sit revelata ejus definitio seu essentia metaphysica et partes physice essentielles, tamen ea non sint revelata *quoad nos*. Item cur plures propositiones obscuræ ante definitionem Ecclesiæ fuerint duntaxat objectum materiale fidei *quoad se*, postmodum accedente decisione Pontificum vel Conciliorum evaserint etiam fidei objectum *quoad nos*. Similiter aliud est esse credibile, seu quod potest fide divina credi, aliud esse credendum, seu quod debet fide divina credi. Ad *primum* enim sufficit quod aliquid sit revelatum, habeaturque de ejus revelatione sufficiens notitia; cum hoc casu adsit objectum materiale et formale et sufficiens applicatio utriusque, atque hinc omnia ad fidem requisita: ad *secundum* requiritur etiam notitia intentionis divinæ nos obligantis ad objectum aliquod credendum.

64. *Dico I.* Veritas formaliter contenta in aliqua propositione explicite revelata, est quoad se objectum materiale fidei et credibile.

*Prob.* Aliquid esse credibile *quoad se* ac esse objectum materiale fidei nihil aliud est, quam esse talem veritatem, quæ a Deo simpliciter et absolute revelatur aut dicitur; ut patet ex tendentia fidei, quæ non attingit modum dictionis clarum et explicitum, sed simpliciter sic fertur: Credo, quia Deus dixit. Sed dum aliquid a Deo explicite revelatur, etiam simpliciter et absolute dicitur ac revelatur id, quod in illo formaliter continetur;